



# ALMA ROMA



QVIDQVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET

C. DEL VECCHIO.



# NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

**Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus**  
*Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)*

...

**Sedes aliae:**

In Italia: Alba - Albano Laziale - Anagni - Andria - Anzio - Aquila - Arcidosso - Arezzo - Ascoli Piceno - Assisi - Aversa - Avezzano - Bagni di Lucca - Bagni di Montecatini - Bari - Benevagienna - Bergamo - Bibbiena - Bologna - Bolzano - Bra - Brescia - Cagliari - Camaiore - Campiglia Marittima - Canale - Canelli - Carate Brianza - Carloforte - Carrù - Castellamonte - Casteñuovo di Carfagnana - Castiglion Fiorentino - Catania - Cecina - Celano - Centallo - Ceva - Chiusi - Città di Castello - Colle Val d'Elsa - Como - Cortona - Cotrone - Cremona - Cuorgnè - Fabriano - Fermo - Figline Val d'Arno - Firenze - Foiano della Chiana - Foligno - Fossato - Frascati - Frosinone - Gaiole in Chianti - Gaillicano - Gallipoli - Genova - Grosseto - Gubbio - Intra - Ivrea - Lecce - Livorno - Lucca - Luserna S. Giovanni - Marciana Marina - Merano - Messina - Milano - Modica - Mondovì - Monteleone Calabro - Montesampietraneli - Napoli - Nardò - Nocera Inferiore - Norcia - Novi Ligure - Oneglia - Orbetello - Orvieto - Pagani - Palermo - Pallanza - Pietrasanta - Pinerolo - Piombino - Pontecagnano - Pontedera - Popoli - Portoferraio - Porto S. Giorgio - Potenza - Pratola Peligna - Roma - Salerno - S. Maria degli Angeli - Sansevero - Segni (Scalo) - Siena - Siracusa - Tagliacozzo - Tivoli - Torino - Torre Annunziata - Torre dei Passeri - Torre Pellice - Trento - Trieste - Velletri - Viareggio - Viterbo.

Apud Italicas colonias: Bengasi - Tripoli.

Apud exterbas gentes: Parigi, Lione in Gallia - Barcellona, Tarragona, Montblanch in Hispania - Lugano, Chiasso in Helvetia - Alessandria, Cairo, Port Said, Mansourah, Tantah, Beni Mazar, Beni Soueff, Bibeh, Dessouk, Fashu, Fayoum, Kafr El Chelkh, Magagha, Mehalla Kebira, Minieh, Mit Gamr, Zagazig in Aegypto - Malta in insula Melita - Aleppo, Beyrouth, Caiffa, Damasco, Giaffa in Syria - Gerusalemme in Palaestina - Costantinopoli in Turcarum imperio - Smirne, Scalanova, Sokia in Asia Minore - Rodi in Aegeo mari.

**Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt.**

## Pro “ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,  
 pretio quod sequitur:

JOSEPHI FORNARI **Fridianus et Francisculi prandium**, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulae lib. 1,25; ambae lib. 2.

HERMINII IACOBELLI **In campo latinitatis novi flores**. - Si tegumento solut. lib. 2; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 3.

I. B. FRANCESIA **Saturio, Euplius, Ad Romam, Actiones dramaticae**. - Singulae lib. 1,25; omnes lib. 3.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI **Arrhae Gorgoniae, Milesia fabula**. - Lib. 1

A

Pretrum ann  
dol. 2,  
rem, R

SO


Liceat  
loqui, o S  
qui comm  
cui tantu  
gine tribu  
coactus, t  
egregiae  
ceptam s  
sponderet  
los et saxa  
non ment  
taverit vi  
ex quo ini  
immane i  
paene uni  
runt tunc  
vim avuls  
correpti; f  
sciculorum  
sae; quin  
ut dubium  
ne esset  
nem inter  
pturis.

Vicit ta

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italianam libell. 12 (fr. 12; doll. 2,40; sh. 10, etc.); *ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.*



## SOCIIS ET LECTORIBUS

## COMMENTARII NOSTRI HUMANISSIMIS

in Hispania -  
ar, Beni Souef,  
Gamr, Zagazig  
- Gerusalemme  
inore - Rodi in  
  
sunt. 

Liceat mihi, sub anni finem, vos alioqui, o Socii, et Lectores humanissimi, qui commentarium hunc administrans, cui tantum favorem inde ab eius origine tribuistis, maxime adlaborare sum coactus, ut tum optatis vestris, tum egregiae formae illi, quam animo conceptam simul habemus, maxime responderet. Quamdiu enim inter scopulos et saxa mihi fuerit versandum nemo non mente percipiet, dummodo cogitaverit vix mensibus duobus expletis ex quo initium operi nostro dederimus, immane illud bellum exarsisse, quod paene universum orbem subvertit. Fuerunt tunc a societate nostra plures per vim avulsi, alii in acie misere a morte correpti; fuerunt dissipationes tum fasciculorum tum pecuniae ad nos missae; quin imo eo interdum devenimus, ut dubium nobis proponeremus melius ne esset ALMAE ROMAE publicationem intermittere, exacto bello resumpturis.

Vicit tamen animus intrepide fidens,

licet amici non deessent, qui nobis suaderent alterum consilium illud amplecteremur, ne nostram ipsi pararemus ruinam; vicit, inquam, animus in eo fidens, ut, restitutis tandem rebus, exitus ille sequeretur, qui tot sacrificia, sponte ac libenter assumpta, abundanter compensaret.

Neque firma spes fefellit; maxima enim sociorum pars - eorum saltem qui immani flagello superfuerunt - quot enim heu! misere vitam in eo amiserunt! - paullatim ad nos redivit, nonique socii accessere ... Verum tamen tot simul impensae crevere, ut ad angustias deveniremus, urgentes magis quam belli tempore, imparesque paulatim fieremus tanto sumptui ferendo. Ceterum quis ignorat cuiusvis rei premium brevi fuisse quadruplex factum et in dies indesinenter crescere? Dicam immo: quis non fuerit miratus, quum commentariorum ac diurnorum omnium premium, per regia ipsa decreta, auctum fuisset, nos usque ad hodier-

num diem subnotationis pretium immutatum reliquisse?

Atvero et ipsi nos a nostra hac via discedere iam cogimur, quum tamen sub experimenti specie - cur non dicam periculi? - ita ab ipsa deflecti statuerimus ut nullus alius adhuc unquam. Scilicet auctioni nostrae hoc statuere voluimus fundamentum, ut tum minima ea esset socio cuique, tum congruens cum nummis suis. Socius enim quisque pretium quod huc usque invaluit cum una parte cumulatum solvet iuxta suae civitatis pecuniam: qui autem per civitatis aliis pecuniam mittat pretium, idem aequabit cum permutationis pretio, die transmissionis vigente. *Itaque pretium subnotationis ALMAE ROMAE commentarii in ann. MCMXXI erit iuxta normam quae sequitur:*

Pro Italia . . . . . lib.	12—
» Gallia, Helvetia, Belgica . . . franc.	15—
» Hispania . . . peset.	15—
» Graecia . . . drachm.	15—
» Batavia . . . flor.	7,50
» Anglia . . . shell.	12,50
» Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis et Canada . . . doll.	3—
Pro ceteris nationibus erit summa Gallicos francos 15 exaequans.	

Rationem hanc a sociis omnibus acceptam iri confidimus quippe quae tenuitatem cum aequitate coniungat.

De propositis autem nostris in novum annum aliisque cautionibus, in proximo numero, qui primus erit anni VIII, de more dicemus.

ALMAE ROMAE Administrator.

## PRO PUESTRIS EGENTIORIBUS EX BELLO FACTIS

Die 1 huius mensis Decembri MCMXX per novam epistolam encyclicam ad universum orbem missam, alterum a Benedicto XV P. M. editum est paternae suae caritatis documentum.<sup>1</sup> Est enim de pueris ex bello egentioribus iterum adiuvandis, ponitque ante christifidelium oculos et revocat ipsam visionem terrestris Iesu Redemptoris vitae actuum illorum, in quibus humanum praesagium obiicitur de Christianae Ecclesiae divina maternitate.

Pro Christo hodie eius Vicarius nobis offertur pueris benedicens puerosque protegens, haud vero in ore subridens, sed anxi illo vultu, quo in evangelii Christus appetit quum esurientes turbae pietatis voces, misericordiaeque miracula ab Eo excusserunt.

Nec quidem iterum pro pueris Centrales Europae fame laborantibus, verum pro pueris quotquot in orbe sunt, quos fames urgeat, neque heu! nutricari atque refici possunt, obsecrat; neque solum ad fidelium omnium pietatem, sed ad tenerum puerorum animum in hodierno documento provocat Benedictus XV; qui infelices infantes omnes ad beatiores omnes admovet: admovet innocentes crudelissimi odio et subversionum victimas, ad animos odii nescios, et in quibus unicum amoris desiderium vibrat; admovet ad purissimum fraternum complexum, ad firmissimum pacis et caritatis foedus unos illos spiritus, qui in vita, quae nunc vivitur, immunes manserunt ab omni cupiditate sui, a quavis prava generis sui opinione, a ferocibus materialium competitionum voluptatibus; et quos ideo caritas Christi urgens rectius atque tuto assequetur.

<sup>1</sup> Vid. in huius fasc. pag. 195.

\* \* \*

O sublimis et exquisitus Christianae poësis sensus!... Quamquam et aliud est in hac paterna apud parvos filios provocatione; est, inquam, ad opera veri atque laudabilis sacrificii consilium; est monitum, suave quidem, at simul firmum, Christianis familiis omnibus, quibus est gaudium incomparabile, at fortasse ignotum, lacrimas non effundendi ante pallida filiorum ora, eorumque oculos languide ex moerore implorantes. Quae inutilium sumptuosorumque donorum redundantia in feriali nataliciis imminentibus; quot mensae accuratissimis epulis instructae; quae industriae, quo inconsiderantis pueritiae optationibus, ingenio, gulæ magis fiat satis! Atqui verbum sufficit, vi intimae comitatis illius prolatum, quam matres in ipsis fabularum narrationibus imprimere sciunt; verbum humile simul atque grave miserias repetens, quibus vere ante focos restinctos, inter famis cruciatus pueri tormentur, ad inexplebilia tot desideria cum abdicationibus sua sponte factis commutanda; ad satisfactionem tot immoderatarum cupiditatum vertendam in deletionem beneficæ alicuius detrectationis.

Huiusmodi quidem verbum invocat hodie Christifidelium omnium Pater piissimus; huiusmodi hortationem quaerit, florentis caritatis semen, et candidorum animorum proficuum maxime institutionem; qui discant profecto dum vivat hisce in terris imperetque doloris lex, per amoris legem felicitatis gaudio temperandum esse, quo caritatis et iustitiae leges explentur.

\* \* \*

« Sinite parvulos venire ad me » clamat olim Christus; eademque dulcis invitatio per Christi Vicarium non ad Apostolosunos, sed ad Ecclesias univer-

sas, toto orbe diffusas, hodie iteratur, quo ad matres singulas, ad omnes familias perveniat.

Sinite ergo parvuli veniant ad Iesum; ignota visendi cupidi pie his diebus accendant ad Eius praeseppe, Eius audiant vagitus, perspiciant in paupertate atque oblivione, quibus Divinus Puellus circumdatur, infelices humanarum libidinum effectus. Sinite eorum animus spectaculo commoveatur, quod iam viginti saecula quemvis animum ad humaniores impulsus induxit atque convertit; sinite praesertim in meditatione perennis redintegrationis illius squaloris illiusque neglectionis, quae fit in pueris egestate laborantibus, resonantem audiant, in Divini Infantis ploratu, tot infantium ploratum, qui eadem ipsa hora rerum omnium inopiam patiuntur auxiliumque implorant.

Sinite parvuli veniant ad Iesum; cuius vox inter mystica divinae noctis silentia pueris, ipsis praesertim, fidem praemittat cuique promissi, qui in paupere atque indigenti Eum ipsum recognoverit, allevaverit, enutriversit. Erit haec fides longe clarior, magisque animos puerorum permulcebit, quam lux quaelibet a dona cuiusvis arboris natalitiae.

Sinite parvuli Iesu vocem audiant animique sui sequantur stimulus; verum in intima hac laetitia ipsam audiant vocem, sequantur eosdem stimulus et puerorum parentes, quibus recurrens Domini natalis dies in mentem revocet Sacrae Familiae angores in Bethlehemiticu specu.


\* \* \*

Nova haec Benedicti PP. XV epistola encyclica est itaque novum aliud singularis significationis documentum, tum ex pietate qua movetur inter continuas discordias, pertinaces suspicione, minas perdurantes conflictationum ac bellorum; tum ex renovato testimonio paternae illius

sollicitudinis, quae iam sex annos cautio-  
nes omnes animose praeterit, quem le-  
niendus sit dolor, lacryma tergenda.

O utinam paterna nova haec invocatio,  
per ipsam filiorum subitam oboedientiam,  
in arctum colligat quod sacratissimum,  
pulcherrimum, magnanimum Divini In-  
fantis adventus nunciavit: Gloriam Deo  
in altissimis, ex materno Ecclesiae suaे  
amore manantem, qui in Eius nomine  
orbem universum consociat; in terraque  
pacem, quae turbata adhuc privationibus  
angoribusque omnis generis, donum erit  
unice atque praemium hominibus bonae  
voluntatis!

ROMANUS.



## DE POËTARUM ELEGACORUM COMPARATIONIBUS<sup>1</sup>

### IV. - Solis.

Qui, ut ait Ovidius (*Met.* I, 135), omnibus est communis, perpetui cursus quum sint in Licinii Calvi fragmento tertiodieci-  
mo: *sol quoque perpetuos meminit re-  
quiescere cursus*<sup>2</sup>, quae verba esse Ius  
finem laborum desiderantis, Lucianus Müll-  
er suspicatur, vix dubium mihi videtur  
esse, quin, qui ea memoriae servavit, Ser-  
vius, ex imaginum serie ea decerpserit, qua  
enumerata petiverit Io, quum omnes de-  
nique ad finem laborum pervenirent, ut  
sibi quoque tandem requiescere liceret.  
Vigori radiorum solis, fortitudinem viri  
comparat Mimnermus. 14, 11, ὅτ' αὐγῆσιν  
φέρετ' εἴκελος ἡλίου.

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

<sup>2</sup> Aliter Mimnermus, 12. Ἡλίος μὲν γὰρ πόνον  
ἔλλαχεν ἥματα πάντα οὐδέποτ' ἄμπανσις γίγνεται  
οὐδέμια.

Nitor solis iam apud Homerum saepe  
est in comparationibus; sed ita ut poëta  
non neglexerit, alium esse aliis diei tem-  
poribus solis colorem. Etenim: K. 547.  
(ππτοι) αἰνῶς ἀκτίνεσσιν ἐσικότες ἡλίου; et Ξ,  
185: λευκὸν δ' ἦν ἡλίος ὁς splendorum albe-  
scensem intelligi vult, contra X, 134 ἀμφὶ<sup>δὲ</sup> χάλκος ἀλάπτετο εἴκελος αὐγῆς ἢ πυρὸς αἴθο-  
μένους ἢ ἡλίου ἀνίόντος ruborem.

Solem nubes vincentem bis Ovidius  
induxit, ut laetam Proserpinæ pingeret  
faciem, (*Met.* V, 570) ut *sol, qui tectus  
aquosis nubibus ante fuit, victis e nubi-  
bus exit*; ad Vertumni pulcritudinem  
illustrandam, (*Met.* XIV, 768) *qualis ubi  
oppositas nitidissima solis imago evicit  
nubes nullaque obstante relaxit*. Haec  
inter perfectissimas Ovidii similitudines  
habenda est, quum, ut Vertumno sol, ita  
nubibus velamenta anilia respondeant,  
quibus se deus occuluerat, itaque nihil  
neque desideretur, neque supervacaneum  
sit, ut iustum habeamus comparationem.

Oculos amore micantes radiis solis spe-  
culo vel aqua repercussis Ovidius compa-  
rat, (*A. Am.* II, 722): *Aspicies oculos tre-  
mulo fulgore micantes, ut sol a liquida  
saepe refulget aqua.* Et (*Met.* IV, 348): *Fla-  
grant quoque lumina Nymphae non ali-  
ter quam cum puro nitidissimus orbe  
opposita speculi referitur imagine Phoe-  
bus.*

Quibus quum locis poëta fulgorem spec-  
tet, non possunt comparari cum Vergilii  
(*Aen.* VIII. 22):

*Atque animum celerem nunc huc, nunc dividit illuc,  
in partesque rapit varias perque omnia versat:  
sicut aquae tremulum labris ubi lumen aenis  
sole repercuo aut radiantis imagine lunae  
omnia pervolitat late loca iamque sub auras  
erigitur summittit ferit laquearia tecti.*

Quibus versis ex Apollonii (*Argon.* III,  
754), ut recte vidit Woshietlius,<sup>1</sup> depromp-

<sup>1</sup> De similitudinibus imaginibusque ovidianis diss.  
Vindob. 1883.

tis, poëta celeritatem respexit, qua omnia  
loca lumen per volitet.

Ovidius, (*Trist.* II, 325) se facit quae-  
rentem Augusti faciem ut... *trahunt ocu-  
los radiantia lumina solis*, cui contra-  
riam imaginem habet (*ex Pont.*, III, 4, 49):  
*Utque reformidant insuetum lumina  
solem.* Soli umbras opponit (*Rem. am.*  
405) *frigore soles, sole iuvant umbras*, cui  
similis est Aeschyli metaphora (*Ag.* 968):

καὶ σὸν μολόντος δωματῖτιν ἑστίαν,  
θάλπος μὲν ἐν χειμῶνι σημαίν ω μολόν  
ὅταν δὲ τεύχη Ζεὺς ἀπ' ὄμφακος πικρᾶς  
οἶνον, τότ' ὥδη ψῦχος ἐν δόμοις πέλει  
ἀνδρός τελείου δῶμα ἐπιστρωφωμένου.

Quamquam autem non credo, hunc lo-  
cum Ovidio observatum esse, praesertim  
quum eandem imaginem solis et umbrae  
(*Trist.* I, 9, 11):

*Utque comes radios per solis euntibus umbra est,  
cum latet hic pressus nubibus, illa fugit:  
mobile sic sequitur fortunae lumina volgus  
quae simul inducta nube teguntur, abit.*

concinere cum eiusdem tragœdiae versi-  
bus: 838 εὐ γὰρ ἔξεπίσθαμαι ὄμιλας κάτοπτρον,  
εἴδωλον σκιᾶς (ὅχλον).

Umbram timidis metum inicentem ha-  
bes (*ex Pont.* II, 7, 14): *Vanaque sollicitis  
incutit umbra metum.*

Sol et luna in vicem caelo ministran-  
tes apud unum exstant Propertium (III,  
15, 35): *Aspice uti caelo modo sol, modo  
luna ministret, sic etiam nobis una  
puella parumst.*

(Sequitur).

ALEXANDER AURELI.

*In quantis sis minor est considerandum, non  
in quantis sis maior. Si cogitas quantum praeces-  
isti alteri, time tumorem; si vero cogitas quan-  
tum tibi desit, ingemisce. Sed si humili eris, tutior  
ambulabis.*

AUGUSTINUS, Serm. LIX.

## DE AEDIBUS IN OPIFICUM COMMODUM CONSTITUENDIS

Ad I. R. amicum suavissimum.

*Dulcissime rerum,*

Quaeris a me quid cogitem de aedibus  
mox construendis, ut fama per urbem sta-  
bilis diffunditur, in opificum commodum.  
Quid cogitem? Ut olim de Martialis ver-  
sibus vulgo dicebatur! Hac in re sunt bona  
mixta malis. Est antiqua quaestio, quae  
per ignes suppositos cineri doloso ingre-  
ditur! Quamdui enim haec mentem phi-  
losophorum torquet!

Popellus indoctus liberque laborum  
quid sapit?

Nonnulli enim, ut aures popularium  
suaviter vellicent, operae pretium ita se ge-  
rere autumant, ut vulgi laudem aucupen-  
tur. Quo facto omnes nostris diebus qui  
rerum novarum cupidi patriae perniciem  
subdoli moliuntur, audacter atque libero  
ore defendunt atque ad sidera quotidie  
hanc sententiam tollunt.

Est res utique, meo quidem iudicio,  
intellectu suavis ac nimis laudanda, atque  
identidem ab illis prolata, qui mitissimo  
ingenio in opifices, eorumque prosperitati  
prospicientes, malaque indignati quibus  
saepius premuntur, quo melius et hīc in  
terrīs viverent, huiuscemodi habitationes  
politiones aedificandas curarunt. Quodque  
caput est, cum viridario circumposito,  
cumque ceteris opportunitatibus, quae ex  
recentiorum ingenio facile manent. Optime  
volunt et aquarum copiam, et lucis abun-  
dantiam, atque conclave singulorum  
amplitudinem, quibus cum gaudio vitali-  
bus auribus vesci possint. Quid enim hoc  
dulcius ac laudabilius? Insuper et adest  
blandulum delenimentum, in quod innocui  
facile incurunt.

Auctores huiusce consilii promittunt et  
opificibus, si vel leviter sibi consulerint,  
fore ut post aliquot annos, easdem domus

pecunia redimant atque in rem suam eas ducere possint.

Oh! bona si sua noverint opifices!

Hac nostra enim aetate, quum e pecuniaribus recentioribus inventis, magis magisque quaestus opificibus creverint, dummodo paulisper didicerint

*Quae virtus et quanta boni sit vivere parvo.*

ad divitias per honestatem advenientes ex servis divites evaderent. Et multi ita meiore fortuna fruerentur.

Ad rem ut redeam, te monitum velim, candide Iuli, olim apud Aegyptios, quem admodum ex veteribus monumentis eruitur, hunc pro egentibus morem viguisse et in primis apud illos, qui ad Pyramides aedificandas adhiberentur.

Et Graeci nobiliores, subacta Asia, iam divites facti pauperumque pertaeserunt, in angustiorem locum nihil agentes coacervabant inter moenia portumque, ut essent aliquando miserandum adversus hostes propugnaculum.

Verum Romae pauperes et pastores suopte ingenio primitus Aventinum habebant. Et passim per compita dicebatur iocose atque in derisionem:

*Hospes Aventinis armentum pavit in herbis!*

et ditiores beatoresque Palatinum. Et Caelius scripsérat:

*Calvi' Palatina vir nobilis bonu bello!*

Iam olim fusius scriptitavi de Romanorum domibus,<sup>1</sup> et obiter dixi in Urbe, postquam Romanorum imperium super Garamantes et Indos prolatum est, tunicatum popellum inter patricios amice habitare. Quin imo famosa aestimabatur *insula*, « nec multa cum luce, neque loco » in pauperiorum usum. Verum hae domus quaestui unice habebantur. Ibi magna hominum copia cogebatur, et praesertim miseriorum. Duo, illa aetate, erant omnino civium ordines, et « alteruter velox Victoria fronde

coronat! ». Quae enim adsidua clades inter plebem et patricios! Quae flumina sanguinis! Semper et Aventinus invidis oculis in Palatinum superbe respexit.

Plebs romana semel et iterum antiquitus ut in patricios animum suum ostenderet, quos improbos appellabat cruentosque, ab urbe secessit. Et hoc atque peius, mea quidem sententia, hisce nostris temporibus, in urbes ingrueret. Si enim pollulus, a nefariis falsae doctrinae veneno infectus atque misere in beatiores ira instinctus in unum locum fortuna et arte cogeretur, maiorem in modum invidiae ignis exardesceret. Namque nequidquam honorēm hoc reputaret, sed nobilium potius in pauperiores odium, atque hanc commodiorem aedium conditionem in calumniam referens, id ipsum indigne aspernaretur ac superbe abnueret.

Hinc maior livoris cumulus atque acerima animorum indignatio. Num verum dicam, facta probare valeant.

Unica vero mater christiana, quae omnis in hominum caritate nititur, et amore semper in miseriōres inclaruit, malorum colluviem diminuere posset, et pauperes divinitus iubere paupertatem fortius pati, et patricis liberalitatem suadere in egenos, atque ita virtutes animi cumulare. Sapientia enim christiana beneficentiam mortalibus suadendo, vel inter horrentes armorum strepitū, in omnem late orbem terrarum dominata est.

At tu, recentior eademque falsa mortalium sapientia, quid, ut hominum egestati remedium adferas, probabili fide conieci? Volumina accedunt ad volumina; sed quid hinc? quae utilitas? Quam verum de te est noster poëta vaticinatus!

*Non longo quoties mutasti tempore leges,  
Officium, mores, aes, hominesque tuos!*<sup>1</sup>

<sup>1</sup> Quante volte nel tempo che rimembre Legge, moneta e uffici e costume  
Hai tu mutato!

Et quoniam post tot gravia discrimina rerum, et in urbe, quo commodiōres opificibus habitationes procurentur, consilium est denuo populares domos in meliorem formam exactas novoque cultu ad saecula rationem aedificare, extra urbis pomoerium, harum rerum auctores iubeo respicere exemplar Pontificum, quorum vestigia relegentes, aedificia Romana urbe dignissima conficiant. Ad humanitatem primum atque ad pietatem Romanorum animos excolamus. Populus saeculi nostri apta institutione ad virtutem caret, et insanis *Socialismi* ritibus falso imbutus, qui apud ipsum late obtinuerunt, in res ludicas et voluptuarias magnam auri vim, facile operibus habitam, profundit. Quam pauci sunt qui prosperis in rebus aequam mentem servant! Redeat Italia ad bonam frugem, et omnia bona in eam veluti agmine facto redibunt. Semper enim

*moribus antiquis res stat Romana virisque.*

Vale.

SENIOR.

## AESTHETICAE NOTAE

### De perfectione, quae ad pulchritudinem constituendam requiritur.

Pulchri natura declarata eiusque definitione tradita,<sup>1</sup> iam quaestiones aliquot aggredi possumus, quae vividiorem valent in re effundere lucem; atque primum inquirere de obiecto integratatis seu perfectionis, quae ad pulchritudinem constituendam requiritur.

Ens quodvis partibus constat sive « realibus physicis », sive « potestativis et potentialibus », sive saitem « virtualibus ». Haec partes vocantur « integrales », partiumque

<sup>1</sup> Cf. fasc. mens. Octobris MCMXX.

complexus quae requiruntur ne quid entidesit, dicitur *integritas*, et etiam *perfectio*; perfectio enim forma est totius, quae ex partium integratate consurgit. Integritas, tamen, seu perfectio, « partialis » dicitur, si partes respicit singillatim sumptas; « totalis » dicitur si rem totam respicit; haec quidem multo laudabilior quam altera, ut ipse Augustinus testatur: « Omnis pulchritudo - sic ille - , quae partibus constat, multo est laudabilior in toto, quam in parte: sicut in corpore humano, si laudamus oculos solos, si nasum solum, si solas genas, aut solum caput, aut solas manus, aut solos pedes et cetera, si pulchra singula et sola laudamus, quanto magis totum corpus, cui omnia membra, quae singula pulchra sunt, conferunt pulchritudinem suam? ».<sup>1</sup>

Integritas naturam rei sequitur; id est « partes integrales », ex quibus totum constituitur, sunt « materiales » in rebus corporeis, sunt simplices vel « immateriales » in rebus incorporeis, sunt materiales et immateriales in rebus ex materia et forma spirituali compositis. Alia est igitur integritas quae corporibus competit, alia hominibus; puris spiritibus, seu angelis, alia.

In rebus et viventibus corporeis semper duplex requiritur integritas, « materialis » nempe et « formalis ». Materialis integritas ex praesentia actuali partium physicarum ad obiectum spectantium exsurgit; formalis autem exsurgit ex actuali praesentia formae substantialis, seu elementi essentialis illius, quod tribuit exsistentiam et specificam naturam materiae eiusque partibus. Pulchra autem arte perfecta solam imaginem formae substantialis referre possunt.

Atqui nullum est dubium quin in re pulchra debita integritas adesse debeat; defectus enim integratatis est defectus perfectionis; et quidquid mutilum atque imperfectum est, ut tale, placere non potest.

In rebus autem et viventibus compositis integritas vel « expleta », vel « in-

<sup>1</sup> S. AUG., *De Genes. contra Manich.*, lib. I, 21.

choata», vel simpliciter «coniecturabilis» esse potest. Quae quidem ex his quae sequuntur atque Cognacci scripsit, facile eluent: «Plurima sunt – ita ille –<sup>1</sup> quorum contemplatio non ante delectat, quam cognoveris plane eorum integratatem, seu ultimum explementum. Istiusmodi sunt in rebus naturalibus rosa nondum expansa, avicula nondum satis plumata, etc.; in rebus autem litterariis «actio primaria» in poëmate epico, ac tragœdia, cuius pulchritudo non ante te movebit, quam videris solutionem. Plerumque idem humanis accedit operationibus, in quibus uti bonitas ex integra causa consurgit, ita etiam pulchritudo ex integritate efflorescit. Immo generatim in iis rebus hoc animadvertisitur, quarum natura postulat ut earum pulchritudo potius ex termino quam ab incoepitis pensitetur. Porro cur sermo retincentia interruptus vel aposiopesi, nonnunquam etiam anacolutho, nos afficit iucunditate? Quia nimur id quod reticetur aut praeciditur, facile subaudimus ac mente supplemus. Perplacet interdum ex partibus coniectare; quod sane mentis est non imperitiae. Truncus ille hominis marmoreus, qui visitur in Museo Vaticano, licet maximam partem diminutus et ambesus,<sup>2</sup> suavis tamen et inexplebilis contemplationis materiam suppeditare eruditis solet. E particulis enim quae supersunt intactae, reliquam totius corporis absolutionem mirabilemque compagem certa coniectura deducimus. Ceterum integratatem et perfectionem accurare in operibus conficiundis optimi artificis est, sicut ineptus habetur qui articulatum singula perficiens nullum absolutum et expletum corpus proferre valet:

*Infelix operis summa, quia ponere totum  
Nesciet». <sup>3</sup>*

G. LEPORE.

## SACRAE FAMILIAE FUGA IN AEGYPTUM

« Ante nos surgit populosa Memphis:  
urbs mihi salve Ptolemaea, Iesu  
pervia Infant, Solymaeque diro  
clausa tyranno! ».

*Fatus haec Ioseph, nec iturus ultra,  
Iesulum caute recipit, manuque  
Virginem Matrem iuvat, ex asello  
desilientem.*

*Vesper est: molli recubant in herba  
Hospites trini; tegit ampla lassos  
palma, quae tutum reserat sub alta  
rupe recessum.*

*Fons ibi fluctu placido susurrat;  
hinc bibunt; crustum quoque dactylosque  
aridos gustant; alitur Parentis  
lacte Puellus.*

*Haud abest longe nomadum maniplus,  
cui domus plaustrum; niger his capillus,  
usta frons, acres oculi, cor ardens,  
dextraque furax.*

*Zingari vulgo vocitantur, orbem,  
qua patet late, peragrare noti,  
et suam cuivis soliti futuram  
vendere sortem.*

*His praeest vivax anus, ad Mariam  
quae gradum vertens, ter Ave sonorum  
inlytae Matri canit inclytoque,  
garrula, Nato.*

« Visne – proponit – tibi fata cari  
præcinam Pupi? » – Venia negata,  
palmulas audax teretes Puelli  
femina prensat.

Nec iacit fulmen Puer in protervam;  
namque, versurus scelus in salutem,  
se sinit tangi, nive puriorem,  
ungue nigranti.

Ecce sed terror vetulam repente  
occupat; nervos quatit horror imos;  
os hiat, nec vox tremulo resultat  
ulla palato.

Mens ubi tandem redit et loqua:  
« Heu mihi! – clamat mulier – quid egi?  
ausa caelorum Dominum profano  
laedere tactu!

At quid inscriptum manibus tenellis  
conspicor? plantis quid utrisque Nati?  
Proh dolor! clavis terebrata cerno  
membra cruentis.

Pusio dulcis! manet atra mors te,  
ne luat poenas homo sempiternas,  
meque ne, Iudex, adigare sagam  
tradere flammis.

Sint tibi grates, puerile corpus  
qui mea causa, Deus, induisti;  
tu mihi posthac eris una vitae  
cura novellae ».

Sic adit Jesus, Satana fremente,  
victor Aegyptum. – Brevis hora currat,  
iamque bos Apis ruet atque latrans  
numen, Anubis;<sup>1</sup>  
martyrum turmas celebresque Christo  
gignet haec tellus Fidei magistros;  
incolis sanctis steriles replebit  
Memphis arenas.

F. X. REUSS.

<sup>1</sup> Apis ab Aegyptiis sub figura bovis colebatur; Anubi, caput erat caninum. Horum idolorum ruinam praenuntiavat ISAIAS (XIX, 1), quum dixit: *Ecce Dominus... ingreditur Aegyptum, et commovebuntur simulacra Aegypti a facie eius.*

## EX ITALIS URBIBUS

Insignis scholarum cuiusque professionis concursus apud Salesianos.<sup>1</sup>

III.

Ad alteram mei operis partem eamdemque ultimam libentissime adgredior. Relictis igitur agris, qui curis semper mortalium corda acuunt, in magnum proxime conclave ingredimur, ubi, uno oculorum obtutu, omne simul cernere possumus quid Salesiani in artibus addiscendis pueros doceant, quidque propediem facere praesumant.

In primis novisse iuvat, ex eorum consilio, in sex potissimum partes amplissime dividi artes, quibus hoc nostrum saeculum innititur. Est igitur disciplina de calceolariis, et de sarcinatoribus; de fabris lignariis et ferrariis; de typographis; denique de marmorariis. Sunt et machinationes et quidem insignes, sed ad lignarios pertinent aequae atque ad ferrarios.

Si mihi de singulis vel obiter dicendum esset, et de innumeris recentioribus inventis, quibus quaque ars undique honestatur, vel delibare vellem, infinitus essem, et

Saepe etiam stellas, vento impendente videbis  
Præcipites caelo labi!

Ac praeterea ne pluribus te morer verbis, candide hospes, accede.

In primo limine, rerum omnium veluti custodes, stant calceolarii... Si idem videtur Plautus, quid diceret? qui eos ridicule sedentarios sutores appellat, passim dia bathriarios soleariosque?

Sunt et hic sua præmia laudis! Namque haec ipsa sutoris industria, quae paulo ante vilissima habebatur, in præsentiarum celebrior facta inter liberaliores adnumeratur. Nec sane abs re. Vides et quantos perfectionis progressus fecerit; quodque sit puerorum studium! Ut enim alumnus honeste ab officina dimitti possit, per

<sup>1</sup> Cfr. num. sup.

<sup>1</sup> O. COGNACCI, *Principia Aestheticae* (Mutinae, 1885) pag. 6-7.

<sup>2</sup> Italice vulgo hic truncus *Torso di Belvedere* nuncupatur.

<sup>3</sup> HORAT. *De Arte poët.*, 34.

sexennium in artem suam singulari studio incumbere debet. Ceterum adsunt pro singulis scholae, in quibus doctrinam christianam, historiam sacram, italam dictio nem, arithmeticen et diagraphen alumni edoceantur, libris omnique instrumento in discentes erogatis. Et haec omnia apte distincta per singulos annos. Sunt vero instituta quae tirones primo anno arripiunt, sicque per ordinem distributa, ut diligentissimus quisque omnia perficere possit.

Quod incredibile antea cuncti putabant, nunc vel tantillus alumnus, qui diligentius operam suam curet, omnia calceamento rum genera producit. Et hinc egressus, honorifice a dominis opificiorum acceptus, singulis diebus, istoc nostro saeculo labente, viginti et amplius argenteos sibi comparat.

Sunt ob oculos propositae variae calceamentorum species et pulchrae magnique pretii. Adest et liber institutionum et, peritorum sententia, undequaque perfectissimus. Hunc et adversarii ad sidera ferentes sibimetipsis inviserunt! Vides? In praesenti sunt et inter calceolarios in artis studio sex cursus! Quis talia conspi ciendo temperet ab admiratione? Omnia haec facili studio discit id aetatis puer, qui olim potuisse vix humillima conficeret.

Tu forte a me postulas, curnam Ioannes Bosco tot domos aperuerit pueris educandis, qui victum manibus sibi operando quaerunt? Et responsum in promptu est. Sanctissimus ille vir, qui Ecclesiae Subalpinae, tristitia temporum, alumnis sacrorum viduatae singulari industria iam consuluerat, pueris quoque, inopia laborantibus, qui liberales artes colerent, domos Augustae Taurinorum primum aper ruit, mox in magnis Italiae aliarumque gentium civitatibus.

*Heu! nimium liberis iuvenescunt vocibus omnes,  
Aut immunda crepant ignominiosaque verba!*

Quo facto, ne morum simplicitas et divinae religionis studium cum hominum tranquillitate abiret, virtus fuit curare ne recens rerum conditio, liberis habenis, praeceps, nullo consulente, ex pravorum

consilio curreret. Eius institutum omnibus admirabile videtur et praeter omnium opinionem, rapide in omnem late orbem terrarum effusum, omnibus commendatur, quoniam ad temporum rationes exactum, omne in omnibus facile punctum contulit.

Ad haec quum nova rerum conditio omnes ad artes pelleret, urbis Taurinensis caput, quae nuper regalis tota erat, et superba quasi regina inter italicas urbes incedebat, ad commercia admodum atque ad opificia operaria se conferens, maxime nunc opificibus celebratur et viget. Et ipsi patritii, ut rebus suis opem aliquam afferrant, armis sepositis muneribusque publicis alegatis, ad artes configunt.

*Ex omni veniunt littora ad ista loco!*

Actum erat de religione et antiqua morum sanctitate, nisi Deus aliquot viros apud nos excitasset qui in artibus colendis, amorem in pueros atque studium pietate cumularent. Principem locum, omnium sententia, facile sibi obtinet Ioannes Bosco, qui incredibili omnium rerum incremento, nominis decus adauxit, atque in unum omnium animum coalescens, Italicae prosperitatem adseruit. Haec forte erant dicenda, ut quisque integrum hominis sententiam arriperet. Hisce positis, libero pede ad artes redeo.

En ipsi nobis obvii sarcinatores. In ipso conclave limine oculos stupor urget inertes!

Quot rerum varietates! At quomodo puer haec omnia arripare potuit? Cuncta hic per ordinem et felici serie sunt praecpta disposita, nimis ne confusionem in puerorum mente congerant.

Adsunt primi globuli ossei, ferreique et varie confecti, et quo artificio studioque!

Adest et lanae filum et sericum; adest et pannus, et, uno verbo, quidquid alumnus in arte sua adhibebit. Adest et alumnorum liber. « Admiranda tibi levium spectacula rerum! ». Omnia hic inveniuntur, quae recte atque congruenter habentur, ut undequaque perfectissime corpori aptentur.

Sarcinatores idem sonat atque reparator, qui vestem scilicet reficit et assuit. At apud recentiores longissime patet, et est prin-

ceps in arte habitus, qui pannum sapienter secat. Olim omne punctum retulisse videbatur qui optime fueret; nunc ars artium est, summa prope rerum posita est in pannis secundis! Hic enim obesus est, ille contra ossa atque pellis; varus, valgus aut compernis. Quae quum ita sint, quae manus firmitas, quae mentis diligentia, ut omnia quaeque conspirent amice! Qui thoracem assuit, qui femoralia, qui demum tunicae consult, omnibus eruditus et proprius accedit ut rude, et ita dicam, felix donetur.

Unum restat ut de ecclesiasticorum vestibibus aliquid scribam. Optime nosti quam arduum sit hac in re ad unguem omnia conficere. Adest et ibi promptus alumnorum liber, qui omnia recte docebit. Quid de puerorum more? Quoniam hic « non longo quoties mutavit tempora vestis », magister, qui experientia callet, quum viderit morem saepe vim vix uno mense habiturum et turpem a turpiore excipi, alumnos monebit quomodo se tutissime gerant.

Hactenus de mansuetioribus operibus locutus, ad fragosiores accedam.

*(Ad proximum numerum).*

#### I. B. FRANCESIA.

## PAGINA IURIS

### De Vicario Generali iuxta novum Codicem Iuris Canonici.<sup>1</sup>

Personae quibus constat Curia dioecesana, ut Dioecesis Rectori opem praestent in regimine totius Dioecesis plures recensentur in novo Codice I. C. (can. 363). Ex iis primum locum tenet Vicarius Generalis: « § 1. Curia dioecesana constat illis personis, quae Episcopo aliive qui, loco Episcopi, dioecesim regit, opem praestant in regimine totius dioecesis. - § 2. Quare

ad eam pertinent Vicarius Generalis, officialis, cancellarius, promotor iustitiae, defensor vinculi, synodales iudices et examinatores, parochi consultores, auditores, notarii, cursores et apparitores ».

Itaque Vicarius Generalis definitur: « Sacerdos legitime deputatus ad exercendam generaliter iurisdictionem regulariter voluntariam vice Episcopi (seu Praelati vel Abbatis *nullius*), ita ut actus illius ab Episcopo positi censeantur ».

Episcopus per se non tenetur constitutere Vicarium Generalem; sed « quoties rectum dioecesis regimen id exigat, constitutus est ab Episcopo Vicarius Generalis, qui ipsum potestate ordinaria in toto territorio adiuvet. Vicarius Generalis libere ab Episcopo designatur, qui eum potest ad nutum removere » (can. 366, §§ 1 et 2), scilicet *accidente iusta causa*. « § 3. Unus tantum constituantur, nisi vel rituum diversitas vel amplitudo dioecesis aliud exigat; sed, Vicario Generali absente vel impedito, Episcopus alium constituere potest, qui eius vices supplet ».

Potest itaque auctoritate propria nunc Episcopus in his casibus alium constituere Vicarium, non requisito, ut olim, Sedis Apostolicae privilegio, neque consuetudine.<sup>1</sup> Item et alia evanuit quaestio inter DD. discussa, num scilicet iurisdictione, quam habet Vicarius Generalis, *ordinaria* sit an *delegata*. Canon enim, quem supra legimus, explicite statuit ordinariam potestatem eum habere.

Quamvis Ordinarii habentes dioecesis regimen alios, qui in hoc regimine eos adiuvent, eligere queant, proprio tamen nomine Vicarii Generalis, cum ordinaria potestate non omnes eligere possunt, sed Episcopi et Praelati seu Abbates *nullius*. Can. 198, loquens de iis qui habendi sint tamquam *Ordinarii*, dicit: « § 1. In iure nomine *Ordinarii* intelliguntur, nisi quis expresse excipiatur, praeter Rom. Pontificem, pro suo quisque territorio Episcopus residentialis, Abbas vel Praelatus

<sup>1</sup> *Cod. Iur. Can.*, lib. II, tit. VIII, cap. IV, art. I. n. 22.

*nullius eorumque Vicarius Generalis, Administrator, Vicarius et Praefectus Apostolicus, itemque ii qui praedictis deficien-tibus interim ex iuris praescripto aut ex probatis constitutionibus succedunt in regimine, pro suis vero subditis Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis». Quare v. g. Administrator Apostolicus alicuius dioecesis non potest habere Vicarium Generalem, quamvis, iuxta Canon. 199, possit potestatem ex toto vel ex parte alteri delegare, nisi aliud iure expresse caveatur.*

*(Ad proximum numerum).*

JOSEPHUS FAMELI,  
S. T. Apostolicae Signaturae Votans.

## ANNALES

### Supremum de pace concilium.

Supremum de pace concilium, quod omnino dimissum praedicabant, absumptis argumentis de pacis foederibus atque... de bellis futuris, iterum ex adverso Londini his diebus convenit, duplci ex causas, nempe ob Greciae necopinatos eventus, et Wrangel, Russici ducis in Bolscevicos pugnantis, acerrimam cladem.

Quae in Graecia post Alexandri regis mortem acciderint, in superiore recensione nostra enarravimus, resque eo reliquimus, ad incertam Pauli principis, regis designati, summae potestatis acceptiōnem, et potestatis ipsius traditionem Conduriotis, classis praefecto, procuratorio nomine pro tempore factam. Subsequuta est Constantini, regis quandam, protestatio, sese a vindicationis iure de ipso regno nunquam renuisse; sibi igitur esse reservandam aut regni resumptionem aut novi regis designationem. Tum Venizelos, quem dicunt iam sibi praesensisse summa rerum, imperii forma a regia in popularem conversa, ad populum provocat. Hei misero! Eius factio in comitiis mirum in

modum ita superatur, ut ne ipse quidem inter populi legatos delectus fuerit, et a patria mature abire cogatur. Populus, ovans et gratulans regiae stirpi, Olgae reginae, quae in Graeciam admissa fuerat ut Alejandro, nepoti ex filio, morienti adstaret, neque adhuc ad suos reversa fuerat, regni procurationem transmittit; regii principes triumphantes redeunt; sed Constantinus, Galliae praesertim offensus ob eius in Germaniam favorem, consociorum maiorum statuum placitum exspectare adigitur.

Horum quidem legati, scilicet concilium supremum de pace, Londini congregantur, qui de re id statuere, nolle se profecto Graeciae ius violare ad libitum de civilibus negotiis consilia sumendi, regemque qui magis placeat diligendi; sciant tamen Graeci supremum idem concilium commercium nullum cum Constantino rege unquam habiturum, neque rerum statum in Oriente immutationem ullam passurum. Atqui notum est tum Constantium, tum partem ei faventem valde reluctari quominus Graecia servet atque defendat territorii accessiones a Venizelos comparatas, quippe quae civitatibus viribus impares atque exteri auxili, quod est extero populo Graeciae subiectio, indigentes.

Si res conciliari velint, necesse fortasse erit ut hinc Constantinus in filii favorem imperium abdicet; inde consociatae victrices nationes ad revisionem accendant pacatorum, quae ad Sèvres urbem icta quondam fuere; quam quidem revisionem et Turcae, neque est dubium, vehementer appetunt.

\* \*

At, diximus, quaestio altera in Londensi conventu perpendenda erat; de Russis nempe rebus. Wrangel enim duce eiusque exercitu, quin etiam et legionibus Ucrainae civitatis fusis, restitutoque in meridionali Russia «Sovietorum» regimine, ita Bolscevicarum animi rursus elati sunt, ut vel de renovando in Polonos bello sermones severint. Certe Leninius eiusque asseclae maximi in Europa belli adserto-

res nunc sunt, atque consociatis nationibus haud iniuria factum hoc est meditandum; neque eos fugit in eo esse focum perturbationis et anarchiae universae, et imminens periculum ceteris populis, qui singuli plus minusve domi fomitem rebellionum servant. Quid vero et quoniam fructu supremi de pace concilii legati et de gravi hoc discrimine constituerint, tempus docebit.

\* \*

### Pacis foedus inter Italos at Jugoslavonios.

Rapallo ad oppidum Ligurae regionis, Itali et Jugoslavonii foedus tandem seriebunt, quod mutuis dissensionibus finem afferret, ab utrisque nonnullis affectationibus suis eiuratis. Itali repetitos fines ad Alpes obtinuere; sed Dalmaticam regionem, praeter Zaram urbem et insulas aliquas, alteri parti cessere. De Flumana civitate pactum est, eam tamquam corpus separatum haberi, quae suo iure suisque legibus regatur. Videbimus proxime quomodo sese gerent D'Annunzio, ille poëta et miles, eiusque instructa legio, qui eam regionem iamdiu occupaverunt ac tenent; quumque certum sit Italicum gubernium susceptum munus derelinquendi urbem esse per quamvis rationem expleturum, sperandum est ne ob eorum pertinaciam sanguis fraternus effundatur.

\* \*

### Nationum societas Genevae congregata.

Nationum Societas primam sessionem suam Genevae habuit, in eaque cum alacritate ac fide adlaboratum est. Quaestio «de materiis primis» exagitata; Armeniae angores defleti, pluraque alia discrimina in examen adducta; verum cum hac, non sufficienti quidem, conclusione, Nationum Societatem vi egere, per quam effrenatae potentium libidines coerceantur; sine qua ad nihil eius virtus redigetur....

\* \*

### Novus in Septentrionali America Praeses designatus.

Habitis in Civitatibus Foederatis Americae comitiis ad praesidem proxime futurum designandum, plurimis suffragiis Harding senator, Wilsoni aemulus, ad huiusmodi munus explendum electus est.

Sic transit gloria mundi!

Kalendis Decembr. MCMXX.

POPULICOLA.

## VACUI TEMPORIS HORA

Ravis me occupat; molesta illa vocis remissio et quasi caligatio, quae ea affectum vel perridiculum reddit. Monebit fortasse me quispiam, imbrem, caveam, si huiusmodi incommodum vitare velim. At quis dixerit hinc tantum ravim repetere originem suam? Recens enim ex experientia pronunciatum est, florum effluvium identidem ravim producere posse, per «essentialia» florum olea odorantia, carbonii que oxidum quibus abundant.

Procul igitur a floribus abeamus - et paullatim fortasse ab omnibus ex hygienistarum praeceptis abeundum erit; abeatque praesertim qui in circulis, prouti vulgo hodie nuncupant, amicorum admirantium pulchram vocem suam in cantu ostentare malunt, ne eamdem sortiantur vicem puerularum duarum illarum, quae in conclavi undique floribus ornato quum musicam virtutem suam essent ostensurae, notas tam raucas et absonas ediderunt, ut auditores in fugam verterint ipsisque anima prae dolore ac rubore deficeret. Bene iis, quod in promptu esset medicus, qui de improvisae ravis causa optime quum esset instructus, apertis fenestrīs puroque aéri aditu facto, brevi et ravim depulit et virginibus, argentina voce reddita, copiam amissi honoris recuperandi dedit.

Sed paulo maiora canamus!...

\* \*

Et canendi, scilicet scribendi, argumentum ultro praebent imminentes **Natalitiae feriae**. Quamquam ne credatis, lectores humanissimi, velle me hic plus minusve poëticam solitamque subiectam propositioni materiam aggredi; dicam unice de ritibus nonnullis in **Gallia Narbonensi** ad hoc festum celebrandum vigentibus, qui licet videantur ab ethnicis moribus originem repetuisse, quos Christianus cultus et humanitas divellere nequierint, sensum tamen suavitatis praebent. Illic igitur ineunte aestate olivi caudex, ex vetere arbore sectus, diligentissime asservatur, in vigilia Natalis Dominici magna pompa in domestico lari deponendus: circa ipsum exquisite mensa instruitur. Ad quam prius quam accendant et familia et amici ad rem invitati, omnes ante truncum genibus flectunt, quique natus minimus est foco quasi benedit, vini poculum in ipsum effundens, qui crepitum suo prope respondere videtur. Deinde puer - namque is semper in conventu hunc ritum explet - manibus in crucis formam ad pectus compositis, Iesum orat velit per hiemem orphanorum, senum, aegrotorum pedes calefacere; lucem et calorem in miseras et ruinosas egenorum aedes effundere; tempestates coërcere, ne casas messesque pessimunt, neve submergant naves in vasto Oceano navigantes. - Post epulas, quae ad multas horas in laetitia trahuntur, chori sacrarum canticularum, quas *Noëls* vulgo appellant, concinuntur; iisque ex viis, luminibus omnis generis collustrantibus, respondet pauperum et mendicorum cantus; quem quum audiunt pueri ditiorum familiarium, in egentium levamen ad hos iacunt ex fenestris liberales eleemosynas, sacculis inclusas, quorum in ore est parva candela collucens.

\* \*

Haud forte hanc consuetudinem inter mores Natalicios describendum delegi; in auribus enim est paterna summi Pontificis vox, stipem invocans pro pueris egentio-

ribus ex recenti bello factis. Vox haec una miserorum illorum omnium vocem congerit! O pueri singuli universi orbis perulam oboli sui cum flamma sua caritatis Augusto supplici libenter ac generoso animo largiantur!

\* \*

### locosa.

In Tuccii domo amico invisenti poculum potionis Arabicae offertur; qui vero humanis verbis illud recusat, additque:

— Si vel caffaeae pocillum sumpsero, impossibile mihi erit per integrum noctem quiescere.

Tum Tuccius:

— Mecastor! Mihi contrarium contigit: quum dormio, caffaeae vel pocillum sumere nequeo.

Magister Tuccio:

— Heus tu! Quā uno verbo appellantur animalia illa, quae rapiunt necantque innocentes bestiolas: oves, capras, agnos, cuniculos, etc.?

Tuccius prompte:

— Lanii!

\* \*

### Aenigmata.

(Vulgo Rebus).

prae prae prae prae prae  
prae prae prae prae prae

II

Multiplicat pars prima, sed altera demere

[gaudet;

Hanc illi vinco iunge tenace tamen.

Exoritur nomen, fines defendere sollers,

Ipse cui cessit Iuppiter altisonans.

Aenigmata in superiore fasciculo propo-  
sita his respondent: 1] *Lac-una-r*; 2] *Ares-  
Sera*.

IOSFOR.

## ROMA SACRA

**S**MI D. N. Benedicti PP. XV epistola en-  
cyclica de pueris ex bello egentioribus  
iterum adiuvandis.

Annus iam plenus est, quum, recenti adhuc bello, christianos omnes appellavimus, ut, Domini Nostri adventante Natali die, misericordia commoverentur puerorum Europae mediae, fame et inopia tam graviter laborantium, ut macie extabescerent et mortem oppeterent. Implorationem vero Nostram, ab ea profectam caritate, quae universos, quotquot divinam imaginem in se referunt, nullo stirpium ac nationum discrimine, benigne complectitur, vehementer equidem laetamur non cecidisse irritam; idque est vobis praecipue, Venerabiles Fratres, exploratissimum, qui tam salutari in incepto operam Nobis studiumque vestrum in primis navastis. Etenim, veluti nobilissimo inito liberalitatis certamine, copiosa pecuniae vis undique gentium conrogata est, qua communis omnium Pater tot innocentium puerorum et necessitatibus consuleret et dolorem abstergeret; neque unquam desinemus Dei praedicare benignitatem, cui placuit tanta christiana beneficentiae emolumenta per Nos in derelictos filios derivari. Qua in re Nobis temperare non possumus quin Societati *Save the Children Fund* nuncupatae publicum praeconium tribuamus, quod in stipe, vestibus cibarisque colligendis nullam omnino curam ac diligentiam praetermisserit.

Verum indigentia rerumque omnium caritas, quam bellum attulit, tam multiplex ac varia est, ut quae suppeditavimus adiumenta, ea nec fortasse in omnes partes, ubi necessitas aderat, pervenerint, nec, ubicunque praebita sunt, necessitati paria exstiterint. Huc accedit quod, vertente anno, postquam ad vos, Venerabiles Fratres, de hoc ipso argumento Encyclicas dedimus Litteras, haud multum amplificata sit plerorumque regionum fortuna, in quibus constat populum, ac praesertim infantes, duriorem adhuc vitam ob rerum tenuitatem agere. Immo etiam bellum alicubi denuo exarsit cum ingenti eorum, quae consequi necesse est, damno et omne genus calamitate; alibi, rebus publicis eversis patratisque indignissimis maximisque caedibus, factum est ut innumerabiles familiae ad egestatem redactae, coniuges orbati sint coniugibus, filii parentibus. Nec rarae sunt regiones, ubi comeatibus et rei frumentariae tam difficile prospicitur, ut vel iisdem populus conflictetur angustiis, quibus teterrimi belli tempore premebatur.

Conscientia igitur universae, quam sustinemus, paternitatis iterum permoti et Divini Magistri vocem illam usurpantes: « Misereor turbae ... quia non habent quod manducant », quum Christi nascentis properet anniversarius dies, christianas gentes iterum inclamamus, ut dent Nobis unde aegris affectisque pueris, quicumque ii sunt, nonnihil levaminis impertiamus. Quod ut largiter efficiant, omnes sane, quotquot benignitatis et misericordiae habent viscera, appellamus, sed praecipuo quadam modo ad pueros copiosiorum civitatum convertimur, qui fraterculis in Christo suis subvenire facilius queant. Christi Iesu Natalem diem nonne ipsi veluti proprium festum habent? Nonne pueri derelicti dissitatum regionum, ipsis supplices tendere manus, et cunas, ubi divinus vagit Infans, commonstrare videntur? Nonne Infans ille frater omnium communis est? Qui « egenus factus est, quum esset dives », et ex praesepi illo, quasi e cathedra caelestis sapientiae, tacitus admonet, non modo quanti fraterna habenda sit caritas, sed etiam quantum homines, inde a prima aetatula, oporteat a cupiditate bonorum huius mundi disiungi, eaque cum pauperibus Christo similitudine propioribus participare.

Suppetet profecto pueris locupletiorum regionum unde languentes aequales alant ac vestiant, per proxima praesertim Dominicai Natalis sollemnia, quae parentes munusculis ac donis laetiora efficere filiis suis consueverunt. Quos numquid putabimus ita animo comparatos, ut ne partem quidem peculii sui,

qua agentium puerorum valetudinem sustentet, missam facere velint? O quantum solacii, quantum sibi parituri sunt gaudii, si quidem effecerint ut paulo commodius, ut paulo iucundius fraterculi, omnibus destituti praesidiis atque oblectamentis, proximos dies festos exigant! Quemadmodum enim Iesus Infans pastores ipsum, nocte natalicia, adeuntes cum donis quae eius paupertatem sublevarent, dulcissimo risu beavit praecipuaque fidei gratia conlustravit, sic benedictione sua caelestibus que gratiis eos remunerabitur pueros, qui caritate eius incensi, parvolorum fratrum misericordiam maeroremque lenierint, qua re nullam Iesu Infanti acceptiorem per eos dies perficere et offerre possint. Itaque christianos parentes, quibus Divinus Pater gravissimum commisit officium sobolis ad caritatem aliasque virtutes conformandae, impense hortamur, fausta hac utantur opportunitate ad humanitatis piaeque miserationis sensus in filiorum animis excitandos atque excolendos. Quo in generé, placet exemplum proponere imitatione dignissimum; meminimus enim, superiore anno, haud paucos a patriciis Romanis familiis pueros ad Nos stipem coram detulisse, quam, parentibus auctoribus, inter se non sine aliqua proprii oblectamenti iactura colegerant.

Diximus, hoc caritatis et beneficentiae opus esse Infanti Iesu perplacitum. Et sane cur nomen Bethlehem idem sonat ac « Domus Panis », nisi quia ibi Christus in lucem edendus erat, qui, de nostra infirmitate sollicitus, se dedit in cibum animis nostris alendis, docuitque nos hisce verbis: « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie », animi corporisque nutrimenta a Patre cotidie exposcere? O quantum dilataretur cor Nostrum si pro certo haberemus fore, ut per natalicia solemnia nulla esset domus quae solacio ac iucunditate careret, puer nullus cuius animulam matris tristitia perstringeret, nulla denique mater, quae filios lacrimantibus oculis intueretur!

Propositum igitur Nostrum, haud aliter ac superiore anno, vobis, Venerabiles Fratres, ad effectum deducendum committimus, atque iis in primis qui in regionibus degunt, quae prospere fortuna et tranquilliore rerum ordine utuntur. Quum autem animis vestris alte insi-

dere oporteat illud Christi Domini: « Qui suscepit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit », nihil intentatum relinquatis rogamus, ut fidelium, quibus praeestis, liberalitas ac munificentia necessitatum magnitudini respondeat. Itaque volumus, in diem duodetricesimum huius mensis, Innocentibus sacrum, vel in diem festum de praeecepto, si mavultis, proxime superiorum, iam nunc indicatis stipis collationem in tota dioecesi cuiusque vestra habendam pueris ex bello egenitoribus sustentandis, eamque dioecesanis pueris praecipue suadeatis; pecuniam vero sic collectam ad Nos vel ad Societatem *Save the Children Fund* quam memoravimus, perferdam pro diligentia vestra curetis. Quod vero ad Nos pertinet, ut, postquam fideles verbo cohortati sumus, eos exemplo quoque Nostro ad largiundum permovereamus, centum millia libellarum italicarum sanctissimo huic caritatis operi attribuimus. Caelestium interea praemiorum auspice paternaeque benevolentiae Nostrae testem, vobis, Venerabiles Fratres, et clero populoque vestro universo, apostolicam benedictionem peramanter imperimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die I mensis Decembris anno MCMXX, Pontificatus Nostri septimo.

### LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

**ALFONSO ESPINO, *Marmoles y Bronces*.** - Ex off. « Imprenta nacional » in urbe Sancti Salvatoris (Centro America), 1919.

**P. H. D. SISSON, *La Poésie Française et le Christianisme*.** - Buenos Aires, Imprenta « San Martin », Alsina, 459-1920.

**FRANCESCO SOFIA ALESSIO, *Musa latina*.** Poemetti latini con traduzione Italiana. Casa editrice *Elpis*, Napoli, Via S. Sebastiano, 48, p. p. - 1920 - Ven. lib. 10.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, *Sponsor*.

ROMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

## INDEX RERUM VOL. VII

(AN. VII — FASC. I-XII)

	PAG.
<b>Alloquia sociis et lectoribus.</b>	
<i>1, 124, 181</i>	
<b>Annales.</b>	
<i>13, 31, 48, 68, 87, 101, 122, 139, 157, 175, 192</i>	
<b>Apologetica.</b>	
<i>Pax Christiana (Romanus) . . . . .</i>	<i>91</i>
<i>S. Hieronymi testimonium de Romano adventu S. Petri Apostoli eiusque episcopatu in Urbe (A. Bacic) . . . . .</i>	<i>92</i>
<b>Archaeologicae res.</b>	
<i>Mariae cum puer Iesu representatio in ingenuis veterum Christianorum artibus (**). . . . .</i>	<i>5</i>
<i>Christi passio in ingenuis veterum Christianorum artibus (**). . . . .</i>	<i>39</i>
<i>De novo museo lateranensi (Senior) . . . . .</i>	<i>62</i>
<i>De veterum sepulcris (**). . . . .</i>	<i>165</i>
(Vide etiam <i>Historica</i> ).	
<b>Ars.</b>	
<i>Quid Plato, Aristoteles, Augustinus, Thomas de pulchro senserint (G. Lepore) . . . . .</i>	<i>26</i>
<i>De pulchri definitione (G. Lepore) . . . . .</i>	<i>150</i>
<i>De perfectione, quae ad pulchritudinem constituantur requiritur (G. Lepore) . . . . .</i>	<i>187</i>
<b>Benedictus PP. XV.</b>	
<i>Novum Benedicti XV P. M. sociale documentum (Romanus) . . . . .</i>	<i>129</i>
(Vide etiam <i>Carmina, Roma Sacra</i> ).	
<b>Carmina.</b>	
<i>Ad Polonię renatam (F. X. Reuss) . . . . .</i>	<i>4</i>
<i>Coralium (F. T. Molledo) . . . . .</i>	<i>17, 35, 53</i>
<i>Bicyclus (P. Spina) . . . . .</i>	<i>27</i>
<i>Christo resurgentī (F. X. Reuss) . . . . .</i>	<i>41</i>
<i>S. Clementi M. Hofbauer revoluto a beata eius morte anno centesimo (F. X. Reuss) . . . . .</i>	<i>63</i>
<i>Vita rustica (F. Sofia Alessio) . . . . .</i>	<i>72, 90, 125</i>
<i>Ioannae ab Arcu puellae Aurelianensi sollemnī ritu inter sanctos adscriptae posttridie Idus Maias MCMXX (F. X. Reuss) . . . . .</i>	<i>73</i>
<i>Nox terroris plena (F. X. Reuss) . . . . .</i>	<i>97</i>
<i>Mons Episcopalis (F. X. Reuss) . . . . .</i>	<i>116</i>
<i>Benedicto XV P. M. in diem III mensis Septembri MCMXX, sexto anno exeunte ex quo Petri solium ascendit, pro auspicata in orbe pace (A. Aureli) . . . . .</i>	<i>127</i>
<b>Ius canonicum.</b>	
<i>De Vicario Generali iuxta novum Codicem Iuris Canonici (I. Fameli) . . . . .</i>	<i>191</i>
<b>Libri dono accepti</b>	<i>16, 52, 71, 126, 142, 196</i>
<b>Librorum recensio</b>	<i>52</i>
<b>Litterae et Philologia.</b>	
<i>De studio litterarum latinarum (S. Z.) . . . . .</i>	<i>3</i>
<i>De rationibus latinam linguam docendi (A. Fulconis) . . . . .</i>	<i>21</i>
<i>Latinæ epistolæ ad amicum (P. Spina) . . . . .</i>	
I. Lingua latina vivit . . . . .	<i>38</i>
II. Lingua latina hodiernæ hominum societati magno usui esse potest . . . . .	<i>58</i>
III. Academia linguae latinæ instituenda . . . . .	<i>80</i>
IV. Quomodo instituenda linguae latine Academia . . . . .	<i>95</i>
V. Quis conditor linguae latine Academiae, et quando . . . . .	<i>113</i>
<i>De certamine poëticō Hoeufftianō a. MCMXIX</i>	<i>96</i>
<i>De agnominationibus (I. F.) . . . . .</i>	<i>59, 134, 169</i>
<i>Quem ad finem poëtae carminibus suis inseruerint similitudines (A. Aureli) . . . . .</i>	<i>114</i>

	PAG.	PAG.	
De poëtarum elegiacorum comparationibus ( <i>A. Aureli</i> ) . . . . .	163, 184	Benedicti PP. XV epistola encyclica de pacis reconciliatione christiana . . . . .	104
De « Esperanto » ( <i>Subalpinus</i> ) . . . . .	168	Benedicti PP. XV litterae encycliche de S. Hieronymo, Ecclesiae Doctore . . . . .	160
<b>Necrologia.</b>		Benedicti PP. XV litterae encycliche de S. Ephrem, Syro monacho Edesseno, doctore Ecclesiae renuntiando . . . . .	178
Marcus Nassò ( <i>I. B. Francesia</i> ) . . . . .	26	Benedicti PP. XV epistola encyclica de pue- ris ex bello eagentioribus iterum adiu- vandis . . . . .	195
<b>Oeconomicae et sociales quaestiones.</b>		<b>Scenicae fabulae.</b>	
De hodierna hominum vita voluptuaria ( <i>Sub- alpinus</i> ) . . . . .	7	Leo IV. Actio dramatica <i>I. B. Francesia</i> .	143, 180
De « iure novo » apud omnes gentes indu- cendo ( <i>Romanus</i> ) . . . . .	19	<b>Vacui temporis hora (Iosfor).</b>	
De « moda » ( <i>Senior</i> ) . . . . .	43	Praesagiorum messis . . . . .	14
De hodierna et antiqua hominum vita vo- luptuaria ( <i>Subalpinus</i> ) . . . . .	47, 67	Arcana signa . . . . .	32
Auri fames ( <i>Senior</i> ) . . . . .	84	Septimillus . . . . .	50
De christiana reconciliatione inter homines procuranda ( <i>Romanus</i> ) . . . . .	109	Ver adest . . . . .	51
De recenti Socialistarum secta ( <i>Senior</i> ) . .	145	Elegans alter et blandus adulescens . . .	70
Pro pueris eagentioribus ex bello factis ( <i>Romanus</i> ) . . . . .	182	Viola martia . . . . .	71
De aedibus in opificum commodum con- stituendis ( <i>Senior</i> ) . . . . .	185	Musicae vis . . . . .	88
<b>Philosophia ac Theologia.</b>		Bicyclulae harmonicae . . . . .	88
De Franciscali theologica schola ( <i>I. A. C.</i> )	38	Inscriptio in triclinio . . . . .	89
Catholica traditio de liberatione hominis per Christum ( <i>E. Hugon</i> ) . . . . .	55	Iter a terra ad lunam . . . . .	102
Quid Patres in genere senserint de locutione Christi « Filius hominis » ( <i>F. Roslaniec</i> )	110	Philomelae carmen . . . . .	103
De catholica Dogmatum notione ( <i>E. Hu- gon</i> ) . . . . .	147	Excentricitates, quas vulgo vocant . .	123, 141
<b>Pro iunioribus.</b>		Hálabé . . . . .	158
Populus vana quadam spe persaepe dece- ptus, suam ipsius ruinam atque interi- tum appetit. (Ex NICOLAI MACHIAVELLI <i>De republica disputationibus</i> , quas Di- scursus nuncupavit, ex prima decade <i>T. Livii</i> , lib. I, c. LIII. - Latine vertit H. B.) . . . . .	12, 30	De caelesti vinearum custode . . . . .	158
Franciscus Celaticensis eiusque neptis. (Ex italicis fabulis I. BOCCACCII, <i>Decam.</i> VIII, 6. - Latine vertit X) . . . . .	86	Luscinia avis . . . . .	176
Tophanus. (Ex commenticia fabula I. BOCCACCI, <i>Decam.</i> VII, 4. - Latine vertit I. S. P.) . . . . .	120	De pilari ludo . . . . .	177
De Sardiniae rebus ( <i>M. Sale</i> ) . . . . .	137, 155	Metrica inscriptio horologio apposita . .	177
<b>Roma Sacra.</b>		Ravis . . . . .	193
Ex Pontifícia Commissione ad Codicis Iu- ris Canonici canones authentice inter- pretandos . . . . .	34, 49	Feriae Natalitiae in Gallia Narbonensi .	194
Ex Congregatione S. Officii: Circa authen- tiā mosaicā Pentateuci. - Opera omnia auctoris vulgo « Guido da Verona » dam- nantur. . . . .	89	Iocosa 16, 33, 51, 71, 89, 103, 124, 141, 159, 177, 194 Aenigmata 16, 33, 51, 71, 89, 103, 124, 142, 159,	177, 194
<b>Varia.</b>		<b>C. DEL VECCHIO.</b>	
Ex Austria. - Centenaria sollemnia in ho- norem S. Clementis M. Hofbauer Vindo- bonae celebrata . . . . .	64		
De solemnīs Canonizationis ( <i>I. F.</i> ) . . . . .	76		
Mirae siderum res ( <i>I. B. F.</i> ) . . . . .	81, 98		
Mater Augusta, quae maxima religione co- litur apud Oropam in Subalpinis quartum solemniter aurea corona redimitur ( <i>Sub- alpinus</i> ) . . . . .	117		
Insignis scholarum cuiusque professionis concurrus apud Salesianos ( <i>I. B. Fran- cesia</i> ) . . . . .	138, 154, 172, 189		

A

C. DEL VECCHIO

SINGULIS